

Epistola universis prelati inferioribus

[Page 223]

Gregorius X universis prelati inferioribus.[Page 224]

Rex pacificus pia miseratione disposuit, ne homo creaturarum dignissima, quem de limo terre formatum ad ymaginem et similitudinem suam fecit, per abusum liberi arbitrii laberetur, et labendo a cognitione sui recederet creatoris, dum par in parem imperium non haberet, presides suo constituit operi superesse, quorum ducatu vita cuiuslibet regeretur, ac ipsorum nutibus et preceptis inferiores ceteri obedirent. Sicque statuit duo luminaria super terram, maius scilicet atque minus, ut in ipsis universalis Ecclesie consisteret firmamentum. In quibus pontificalis auctoritas et regalis potentia designantur. Una videlicet, qua spiritualia et altera qua corporalia regerentur. Ad sustentationem igitur machine spiritualis, utpote dignioris, beatum Petrum apostolorum principem et in beato Petro pontifices successores, Summus Pontifex in eternum, unigenitus Dei filius Iesus Christus, qui doctrinam humano generi tribuit salutarem, magistros esse voluit et pastores; ad corporalis vero compaginis firmamentum, cuius facilis est profecto disiunctio, reges et principes rex regum et Dominus dominantium idem ipse preesse voluit Iesus Christus, ut illi quidem, in exequutione pontificalis officii, spiritualibus vacando negotiis, proficerent ad salutem, et hii salubriter, in excellentia regie dignitatis, corporalia gubernando, malitiis hominum obviarent. Sicque machina fieret utriusque subiecti stabilior, dum haberet quodlibet proprium servatorem. Sed quia diebus istis novissimis, in quibus superexcescente malitia in immensum refrigescit caritas in plerisque, proprius appetitus, qui niti frequenter in vetitum consuevit, adeo debachatur in homine, quod, libello dato quasi repudii, libertas arbitrii, quo bonum malumve discernitur, exulat extra terminos honestatis, multum oneris multumque sollicitudinis nobis incumbit, ut animarum corporumque periculis caveamus. Nisi enim congruis obstaculis malitiis hominum obvietur, discensus est profecto labilis ad excessum. Et dum per lubricum iter discriminis abusive descenditur, facilis, pro dolor, relevatio vix habetur. Igitur, ad apostolice dignitatis apicem, licet immeritos providentia divina vocatos, inter curas varias nostris processibus influentes, sollicitudo cotidiana nos excitat, qualiter generali bono statui totius populi Christiani multifarie multisque modis, nostris temporibus, proficere valeamus. Ut cum die illa novissima, die scilicet[Page 225]

districti iudicii, qua reddituri sumus talenta nobis credita duplicata, tremendi iudicis discussio venerit, plenam possimus, ipsius faciente clementia desuper, de commissis nobis ovibus reddere rationem. Verumtamen, considerantes qualiter et quomodo salubrius id peragere valeamus, alta mente concepimus, in kalendis maii proximo futuri, Lugdunii generale concilium celebrare, ubi, dum tantorum presulum, regum et principum, quos unitas fidei orthodoxe connectit, fuerimus honorabili comitiva suffulti, ac in Eius nomine, cuius spiritus ubi vult spirat, unanimiter congregati, de animarum profecto profectibus et de corporum salute salubriter, ac de universali bono fidei christiane, sicut nobis casti consilii ministrator altissimus infusione sue gratie previa ministrabit, disponere credimus et tractare. Propter quod, universitatem vestram ad tam solemne convivium, tam suave, quod longe lateque delitiis effluet pre suarum copiis ubertatum, ut ipsius sit nobis possessio communicata iocundior, paternis affectibus invitamus, per apostolica vobis scripta mandantes et in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus sic vos decenter prout uniuscuiusque possibilitas exigit et requirit necessariis omnibus muniatis, ut in prefato termino possitis eidem concilio personaliter interesse. Illo nobis et vobis viam premonstrante qui novit, et iter prosperum faciente qui potest.